

quiritur. Sic tamen ut, ubi iudicium ambabus partibus denunciatum fuerit, resedentes duo de utraque parte de loco, ubi causa requiritur, [prestent iuramentum], et quod ipsi per evangelia determinaverint, pars parti satisfaciatur.

20. — *Addimus etenim, si quis homicidium perpetraverit, stante pacto, modis omnibus partibus vestris ligati tradantur, quanti in ipso homicidio mixti fuerint, et si distulerit eos tradere, pro unaquaque persona componat auri solidos trecentos. Et si aliquis in silva pignerationem facere voluerit, sic fiat sine homicidio; et si, quod absit, homicidium factum fuerit in libero homine, componat pro ipso auri solidos trecentos, et pro servo solidos quinquaginta; et si plaga peracta fuerit in libero homine, componat solidos quinquaginta, et pro servo solidos XXX.*

21. — *Et hoc stetit, ut de feminis ac mulieribus, seu puellis, vel gregibus equarum, vel gregibus porcorum indomitorum nulla pigneratione fieri debeat, et, si qua pars facere praesumpserit, componat solidos quinquaginta, et ipsa pigneratione salva restituatur.*

22. — *Similiter stetit, ut in res sanctorum ecclesiarumque Dei nulla pigneratione fieri debeat, excepto si cum sacerdotibus ecclesiarum ipsarum causas habuerit, et antea compellatio fiat semel aut bis, postea fieri debeat pigneratione: nam qui aliter facere praesumpserit, duplum componat, et, si nescius pignoraverit, praebeat sacramentum et sit sollicitus, ut ipsum pignus salvum restituat.*

23. — *Et hoc stetit de cautionibus sive de quibuslibet commendationibus, ut, si quis aliquid dederit ad negocianendum sive aliqua pignera posuerit et solidos mutuaverit, scilicet qui scriptum fiduciationis aut pignus habuerit, ipse faciat iuramentum: et tunc secundum legem et iustitiam incedat iudicium et iustitiam faciat pars parti de hiis et similibus causis, de quibus in anteriori pacto continetur.*

24. — *Et hoc stetit, ut de capulo Rivoaltenses, Olivolenses, Amorianenses, Methamaucenses, Albiolenses, Torcellenses commandantes fecerunt ab hodie in annos XXX, ubi capulaverunt, habeant licentiam capulandi, sicut supradictos annos habuerunt consuetudinem, sive per flumina sive per*